

Laudatio

Danielem Škoviera, professorem clarissimum, collegam carissimum quicumque laudare voluerit, a loco quodam communi laudis personae satis noto initium capere debet, qui tamen locus – vera fides! – attributo, quod est communi, careat. Illius namque de Latinitate patriae suae partiumque Europae orientalium bene meritis ipso primo intuitu omnis suspicio laudis ficticiae facile refellitur – de iis illius meritis loquor, quibus nos litterarum Latinarum investigatores reapse docuit permulta et fuisse et esse earum monumenta, quae non neglegebamus tantum, sed quae esse omnino ignorabamus. Quis enim nostrum, qui in regionibus Europae centralis vel occidentalis ante annum circiter millesimum nongentesimum educati philologorum munere fungentes operam navabamus, ante studia Danielis Škoviera in epistulas Leonardi Stöckel, discipuli Melanchtonis, vel in rationem, quae intercessisset inter Iohannem Antonium Cassoviensem et Erasmus illum Roterodamum, vel in artem versificandi Valentini Ecchii, licet ille Lindavii natus sit, Cracoviae morantis, strenue incubuit, quamquam hi omnes multique alii pars magna cultus atque humanitatis nostrae patriae communis eiusdemque rei publicae litterarum fuerunt, humanitatis videlicet Europaeae? Hac autem aetate, cum Europa, olim bipertita, videtur esse unita – haud scio an recte dicas – eo magis dandam esse operam censeo, ne favores partium recordationi considerationique communis patrimonii praevaleant! Hoc ne cum communi neque doctorum solum detrimento fiat, praeter alios labores aliasque moles ingeniis velut Danielis Škoviera opus erit. DIXI!

Curtius Smolak (Vindobona)